



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XXV. In Titvlvm XXV. De Pecvlio Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

fit mandare de rebus suis; & taliter donatum, fit quasi legatum; at ejusmodi usurarius per c. *Quamquam*, nihil mandare po-

test per ultimam voluntatem; & cum testari nequeat, nequit etiam legare; ergo. Ad s. 3. affirmative; de quo lib. 4. tit. 20.

QUÆSTIO XXV.
IN TITVLVM XXV. DE PECV-
LIO CLERICORUM.

1960 **H**oc titulo specialiter agitur de bonis Clericorum per ordinem potissimum ad sequentes titulos, ut constet, quo jure possint, aut non possint ea transmittere in alios, præsertim per ultimam voluntatem; vel, ubi decedunt, ab intestato. Non agimus hic de peculio filiorum familias quadruplici; sed Clericorum, quæ habent, vel communi titulo cum Secularibus; vel, speciali ratione sui ministerii, aut intuitu Ecclesiæ, cui deserviunt. Coeterum *peculium* in genere, ac vi vocis, est pusilla pecunia, seu pusillum patrimonium L. *depositi*. ff. de peculio; est etiam eorum, qui sui juris sunt; tum eorum, qui alterius sunt potestatis, sive sint servi subditi suis dominis, sive sint filii subditi suis parentibus; de quibus in seqq.

ARTICULUS I.

De bonis Clericorum Secularium.

1961 **B**ona Clericorum Secularium sunt in triplici differentia; nam, quæ habent ex hereditate, donatione, vel aliis contractibus civilibus, dicuntur *bona patrimonialia*: quæ acquirunt arte, vel industria propria, *non Ecclesiastica*; quæ verò habent, tanquam stipendia suorum laborum, officiorum, & ministeriorum Ecclesiasticorum, dicuntur *quasi patrimonialia*; talia sunt, quæ acquirunt celebrando, prædicando, sacramenta ministrando, vicarium temporalem agendo, quo etiam reducuntur funeralia, & secundum aliquos, distributiones quotidianæ; ut notat Pithing. h. t. n. 2. quæ denique habent, ex suis beneficiis Ecclesiasticis, dicuntur bona mere *Ecclesiastica*.

1962 **C**um autem alias, ubi sermo est de filiofamilias, sit quadruplex peculium, profectitium, adventitium, castrense, & quasi castrense; in Clericis Secularibus bona

patrimonialia etiam dicuntur *Castrensa*; quasi patrimonialia, *quasi castrensa*; mere Ecclesiastica verò *profectitia*; hujusmodi sunt annui redditus, ex fundis, seu prædiis, & bonis Ecclesiasticis ratione Decanatus, Canonicatus, vel alterius beneficii Ecclesiastici, quo etiam reducuntur decimæ Parochiarum; & de his in præsentibus potissimum quaritur; nam alia bona, nempe patrimonialia, & quasi, sunt sub libera, & plena dispositione Clericorum Secularium.

Coeterum peculium castrense filiorum familias nomen habet à castris, & dicitur, quod in militia, vel occasione militiae, comparatur, qualia stipendia, spolia, donativa Ducum, vel commilitonum: hereditas, & legatum occasione militiae; unde si consanguineus cum alio versetur in bello, & ei relinquat aliquid, præsumitur relictum causa militiae L. 4. C. de castren. pecul. mil. item præsumitur datum causa, & intuitu militiae omne genus armorum, & quidquid in serviens bello, ut subeat rationem peculii Castrensis; sola mobilia, quæ donantur filio eunti ad bellum, vel à Patre, vel à Matre, vel à quacunque persona, *Castrensa* esse possunt; immobilia nequaquam: cum vero castrum in jure etiam regis palatium significet, bona castrensa vocantur, quæ in regis palatio acquiruntur L. *unic.* C. de Castrenf. palat. pecul. lib. 12. Denique, quæ ex talibus bonis, mediante aliquo contractu proveniunt, castrensa reputantur.

1964 *Quasi castrense* est, quod habet privilegium Castrensis, quale omne id quod ex beneficio Ecclesiastico comparatur: imo quidquid acquiritur post Clericatum, etiam si alias esset adventitium; sic habetur expresse in authen. *Presbyteros*, C. de Episc. & Cleric. sunt enim Clerici milites spirituales; item, quidquid acquiritur officio publico, (non mechanico) ut Ju-

dicis, Advocati, Tabellionis, Medici, vel professione alicujus artis liberalis, & munere docendi, concionandi, vel consulendi in scientiis superioribus, quales sunt Theologia, jus Canonicum, & civile L. *similiter*. ff. de Castrenf. pecul. item, quod datur intuitu talis functionis; ut, si dentur libri, ut quis profiteatur artem liberalem: & quod liberalitate principis: denique quod ab aliquo confertur filiofamilias, ut sit tanquam castrense.

1965 *Adventitium* est, quod non provenit à patre, respectu cujus dicitur adventitium, nec patris intuitu principaliter datur; sed successione, vel donatione alius intuitu facta, vel industria propria, vel fortuito ei obvenit: unde adventitia erit successio in bonis maternis, inventio thesauri, & lucrative negotiatio; adventitium in jure dicitur, quod fortuito, & aliunde, quam ex usitata consuetudine manat; unde adventitiam dotem dicimus, quæ aliunde, quam à Patre profecta est.

1966 *Profectitium* peculium est, quod de rebus paternis proficiscitur, seu quod provenit à parente vivo, vel principaliter, & proxime ejus intuitu confertur, ita, ut nec sit castrense, nec quasi castrense; hujusmodi sunt, quæ à parentibus conceduntur filiis, ut ea administrent; & quæ dantur filio ab aliis ob amicitiam, & obsequium parentis; secus, si ob amicitiam, & obsequium filii L. 6. C. de bonis, quæ lib. sic Alex. Schor. V. *peculium*, vocat paganicum profectitium, quod de rebus paternis, vel dominicis proficiscitur, & filio, vel servo datur, ut in eo negotietur, & istud est patris quoad proprietatem; sed filii, quoad usum fructum; nam filius *in profectio ordinario* nec habet dominium directum, nec utile; *in adventitio* habet directum, non utile: *in castrensi*, & *quasi castrensi* habet utrumque; unde citatus author V. *Paganicum* affirmat, illud esse adventitium peculium, quod ex prospera fortuna advenit, veluti ex testamento cognatorum, vel etiam agnatorum; his præmissis:

ARTICULUS II.

An Clerici jure dominii habeant redditus suorum beneficiorum?

1967

Quæstio procedit de Clericis *Secularibus*, etiam Episcopis, Canonicis, aliisque Beneficiatis; 2. de redditibus, quos

accipiunt ex suis beneficiis; atque adeo non de patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, sed *mere Ecclesiasticis*, seu (ut notavimus n. præcedente) *profectivis*. Nam eos esse veros dominos bonorum suorum patrimonialium, & quasi patrimonialium, certum est, ac de illis posse libere disponere constat ex communi DD. Loquendo autem de redditibus *mere Ecclesiasticis*, in quantum illis debiti sunt *in sustentationem* sufficientem, & decentem, pariter dicendum, eos habere verum dominium; adeo quidem, ut, si ex propria parsimonia de illis aliquid redundet, habeant liberam facultatem, etiam de his disponendi inter vivos, ut tradit communis cum D. Thoma 2. 2. q. 185. a. 7. in corp. Covarr. c. *in officio* de testam. n. 2. de dispositionibus autem per ultimam voluntatem, V. rit. 26. & seq.

Quæstio potissima est, *de fructibus congrua, ac decenti eorum sustentationi superfluis*; 1. an etiam eorum fiant veri domini? 2. an hoc admisso habeant eorum dominium liberum? & sine omni onere, illos ex obligatione expendendi in pios usus? vel certè possint licitè de illis disponere etiam ad causas profanas? 3. an, si habeant dominium eorum vincularum, nimirum sub onere illos exponendi solum in pios usus, exponendo *in usus profanos*, peccent contra justitiam, consequenter cum onere restituendi?

Ad 1. & duplicem in ea quæstione essentiam; prima, inter Recentiores factis communis, affirmat, Clericos *Seculares* esse veros dominos proventuum *mere Ecclesiasticorum* sufficienti, ac decenti eorum sustentationi redundantium, & superfluum; ita Pirhing h. t. n. 5. P. Robertus König h. t. §. 7. n. 12. dicens, hanc sententiam Doctorum animis profundius impressam à Tridentino sess. 23. c. 1. & sess. 24. c. 12. de Reformat. dum decernit Clericos, diu absque necessitate absentes, aut professionem fidei intra præscriptum tempus emittere negligentes, *non facere fructus suos*; unde à contrario fortiter inferri videretur, quòd alii faciant *fructus suos*, seu *dominium eorum acquirant*: Secus enim, nulla foret absentium, & non presentium poena, *fructus non facere suos*; alii hoc etiam probant ex *canonico*, de Clericis non resid. in 6. ubi absentes

res, sine causa legitima, dicuntur *quotidianas distributiones non facere suas*: ad textus in contrarium, respondet Haunoldus tr. 4. de jure, & just. q. 22. contr. 7. n. 74. in illis vel esse sermonem de superfluis bonis ante factam bonorum Ecclesiasticorum divisionem; vel, si loquuntur de posterioribus temporibus, loqui per quandam exaggerationem; quo pacto etiam divites Laici, pauperibus elemosynam negantes, homicidæ pauperum appellantur: vel accipiendos esse de bonis Ecclesiæ, super quibus Clerici tantum administrationem habent, & quorum dominium est penes Ecclesiam.

1970. Contrarium tamen inter antiquos tam Canonistas, quam Theologos receptum erat, nimirum, *stando in rigore juris*, Clericos non esse dominos fructuum, ex proventibus merè Ecclesiasticis redundantium congruè ipsorum sustentationi; quorum sententiam secutus sum in tract. Theol. de jure, & just. dominio Clericorum, nam olim jus alienius portionis ex proventibus Ecclesiasticis, quos nunc percipiunt Clerici, certò erat penes pauperes; & ab hoc eos esse dejectos, idque in Clericos esse translatum, non probatur, vel confusione bonorum in erectis beneficiis, vel commutatione in alios fines pios à Clericis præstandos, vel aliis argumentis ex Tridentino desumptis, prout fufius loc. cit. ostenditur: ergo.

1971. Si dicas: nemo spoliari debet possessione, & dominio rerum, nisi cõstet esse alienas, aut lege justitiæ alteri debitas; sed reditus beneficiorum superfluos possident Clerici; neque constat, illos esse alienos; aut lege justitiæ alteri debitos; ergo: ma. est ex recepta in utroque jure regula; tum quia nemo in dubio spoliandus est jure suo, quod possidet; tam quia in pari causa melior est conditio possidentis: Min. etiam patet; quia id nec ex mente Ecclesiæ, nec fidelium convincitur. R. i. hoc argumentum instari pro pauperibus contra arguentes; nam jus alicujus portionis olim certò erat penes pauperes, & non constat, eos unquam hoc jure spoliatos; eos autem dejectos esse ab hoc jure, dicitur quidem in erectione beneficiorum, sed non probatur; cum ipsi fatentur, non esse sublatam obligationem exponendi eos *reditus in usus pios*; nullus certè juris textus

afferri potest, *concludenter* ostendens, certum illud jus pauperum, ab his, in Clericos translatum esse; nam quod assumitur ex Tridentino, intentum non probat; mala enim est consequentia: *Clericus non facit fructus suos, si absit; ergo omnes facit suos, si præsens sit*: sicut malè sequitur: *Hæres de bonis defuncti nihil facit suum non adita hereditate; ergo omnia facit sua ea adita*; nam legata non facit sua, cum hæc ab eo, qui legavit, ad eum, cui legavit, recta via transeant. L. *Aulo Titio*. ff. de furtis; & fructus eorum ex eo tempore, quo lis contestata est, à Legatio exigì posse, manifestum est (L. *legatorum*, C. de Usuris, & fructibus legatorum) non autem ex die mortis, L. *in Legatis*. C. eod. Solum enim sequitur, quod Clericus, per suam præsentiam, *eos fructus facit suos, qui ei ob præsentiam destinantur*; Sed unde probas, quod etiam fructus superflui, & congruè illius sustentationi redundantes, ejus dominio subiciantur propter præsentiam? certè, nisi habeas aliud fundamentum, injustè agis, contra certum jus pauperum, his negando, illis concedendo, jus justitiæ.

Ad 2. R. dato etiam, quod Clerici fiant *1972* veri domini, etiam superfluoꝝ; nihilominus tamen hoc dominium manere affectum onere, ac obligatione illas non exponendi, nisi in usus pios; & graviter peccare, si in magna quantitate exponant in usus profanos; hæc sententia est omnium fermè Canonistarum, & plurimorum Theologorum, præsertim antiquorum, teste Navarro tract. de rebus Eccles. q. 2. monito 7. n. 1. & ex recentioribus Theologis sequitur Tanner. tom. 3. dif. 4. de justit. q. 6. dub. 8. n. 215. ubi ait: *illam esse multo probabiliorè* imò speculative, & ex propriis principiis, *unice veram*; eandem etiam tanquam absolute veram, amplectitur Layman cit. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. ita etiam, Pirhing hoc tit. n. 6. dicens: Hæc sententia non tantum est valde probabilis, & sacris canonibus admodum conformis: Sed etiam tanquam tutior omnibus beneficiariis in praxi consulenda est, ut fateretur etiam Lessius l. 2. c. 4. à n. 39. licet alias contrariam sententiam sequatur. Ubi nota prædictos autores non tantum docere, *exponere illos reditus in usus profanos*, esse peccatum; sed, peccatum *cum onere restitutionis*; quod arguit non qualecunque peccatum

catum, sed contra iustitiam propriè dictam, Hinc.

1973 Ad 3. B. cum prædictis aa. illos reditus exponere in usus profanos esse peccatum contra iustitiam; consequenter importare obligationem restitutionis, sic etiam tradidi in eodem tract. Theolog. de iure, & iust. Nam, si Clerici peccant, erogando fructus illos superfluos in usus profanos cum onere restitutionis, eo ipso peccant contra iustitiam; sed ita est, quod peccent ex dictis; & quidem cum onere restitutionis; ergo. Major constat ex præced. n. & ratio est, nam nulla alia virtus per transgressionem obligat ad restitutionem, quam iustitia; ad prob. min. not. 1. reditus Ecclesiasticos olim fuisse quadrifariam divisos, sic, ut una pars cederet Episcopo, altera Clerico, 3. fabricæ, 4. pauperibus; habetur in decreto Gelasii Papæ, relato c. *Vobis*. c. *Concesso*. 12. q. 2. & decreto Simplicii c. *de reditibus*, ead. q. 2. item statuit Gregorius c. *cognovimus*, & c. *mos est* ead.

1974 Not. 2. cuique suam portionem sic assignatam fuisse, ut si alius eam sibi usurpavit, eam restituere debuerit; nam postquam Gaudentius Episcopus tres aliorum portiones sibi sumpserat; re delata ad Simplicium Papam, hic, specialiter, inquit, *præcipimus, ut tres illas portiones, quas triennio sibi dicebatur tantummodo vendicasse, restituat*. Ubi glossa V. *triennio*, ait, illum in eis portionibus *furtum commisisse*, & ideo res illas mobiles non ufucepisse secundum dicta lib. 2. de Præscript.

1975 Not. 3. quod Justinianus Imperator, qui maximas fundaciones pias fecit, & reditus Ecclesiasticos plurimum auxit, *sanctè caverit, ne hi in alia, quam opera pia referantur, ita, ut si secus factum fuerit, conscientias Clericorum iis abutentium sub peccato gravatas, & ad restitutionem obligatas voluerit*. *Sciant autem*, inquit Imperator, *Deo amabiles æconomi, & qui nunc, & pro tempore futuri sunt; quia, si quid præter hac (nimirum prædicta) egerint, & divinis supplicis subjacebunt, & de substantia sua indemnitate SS. præstabunt Ecclesia*. Authent. ut determinatus sit numerus Clericorum.

1976 Respondent communiter aliqui; hic onerari solum eos Clericos, qui æconomiæ, tanquam administratores præerant

tempore, quo Clerici, voto paupertatis ligati, vivebant in communi, ut nunc religiosi; non autem nunc, ubi ille modus vivendi desit: sed immerito dicitur; nam status Clericorum, in commune viventium, & consequenter illi æconomi, non amplius erant, sed dudum ante desierant, quam hæc authentica conderetur; status enim illorum desit Anno Christi 470. quando scilicet erecta sunt beneficia, ex quibus sua Clericis singulis portio proveniret; & authentica condita est, uno, vel altero anno, postquam Justinianus imperium adiit, Anno Christi 527. ut testatur Baronius in annalibus ad hunc annum; ergo responsio hæc nulla est.

Ex cit. auth. vides, sub hoc modo, & onere (ut proventus Ecclesiastici in divinos, non profanos usus impendantur) donationes Ecclesiis esse factas à Justiniano; & si non servant modum appositum, *de substantia sua indemnitate SS. Ecclesia præstent*; non enim minorem curam eorum, qui SS. præstunt Ecclesiis, quam ipsiusmet animæ suæ se haberet; status est piissimus Imperator; in fin. cit. auth. & quis credat, reliquos fideles aliamente, & modo, fecisse tot fundaciones pias? V. S. fin. cit. auth. c. 5.

Dices: textus citatos non amplius habere locum hoc tempore, ubi beneficia erecta sunt; quia volunt, per hoc jus pauperum vel extinctum esse, vel in alia opera pia commutatum; sed contra est, quia quando certum est, aliquem habuisse jus aliquod, tamdiu in eo permittendus est, quamdiu non probatur de illo iure dejectus, (nam in hoc melior est conditio possidentis) sed certum est, pauperibus olim fuisse debitam ex iustitia portionem aliquam, ut ipsi fatentur, & constat ex dict. à n. 1972. neque ullo iure probari potest, eos de iure suo fuisse legitime dejectos; prima pars min. confirm. ex c. *quod autem* 23. q. 7. ibi: *bona Ecclesie non sunt nostra, sed pauperum quorum procuracionem gerimus*; secunda pars etiam constat, quia nullo textu juris id probatur.

Contra est 2. quia immerito dicitur, 1979 jus pauperum extinctum esse commutatione in alia opera pia 1. quia hoc citra ullum juris fundamentum dicitur, & solum divinat; 2. quia, qui alteri negat jus, antea certum, tenetur ad probationem

nem positivam; hoc ipsi non præstant; ergo. 3. vel commutata est obligatio prior, vel solum debitor? primum nullo jure ostenditur; secundum autem facit, alia opera pia successisse in jus pauperum; ergo adhuc peccatur contra justitiam; non dando operibus piis.

1980 Confirm. quia nulla per Ecclesiam facta est commutatio, quæ sustulisset obligationem in conscientia, non erogandi superflua in usus profanos; ergo etiam nulla, quæ sustulisset obligationem justitiæ, quæ prius fuit; antecedens est ex confessione adversariorum, cum ipsimet doceant, tunc à Clericis peccari, saltem contra aliam à justitiâ virtutem; unde ergo habent, quod obligatio justitiæ extincta sit per illam commutationem, si per nullam extincta sit obligatio conscientiæ, quæ prius fuit, vel ergo per beneficiorum erectionem induta est nova virtutis obligatio? & hoc, ne agant in præjudicium cerui juris, quod ante fuit, tenentur probare; vel servata est prior? at hæc fuit justitiæ olim, ut farentur, ergo. Deinde quæso, hæc commutatio facta, à quo est facta? ubi? quando? in qua opera? certe nihil authenticè ostendunt.

1981 E contra pro jure pauperum militat claritextus Sacrorum canonum, & SS. Patrum, ut in præmissis ostensum est; unde illorum explicatio, quæ asseritur ex Hauholdo supra in n. 1969. est prorsus violenta, ex arbitrio potius, quam claro jure fundata. Quid clarius eo, quod dicit Sanctus Bernardus serm. in illud: ecce nos reliquimus omnia; qui sanctè loquitur: Res pauperum, non dare pauperibus, par sacrilegii crimen esse cognoscitur, sanc. patrimonialia pauperum, facultates Ecclesiarum, & sacrilega illis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, & dispensatores (non utique domini, & possessores) ultra victum accipiunt, & vestitum; ubi nota, ly non domini, non possessores. Certe Clemens, vicinus ipsi S. Petro l. 2. r. 3. de const. Apost. iubet ea omnia egentibus cum justitiâ distribui; & Symmachus Papa c. in Canonibus. 16. q. 1. sub anathemate obligat eos, ad restitutionem, qui res Ecclesiæ suis quasi hæreditarias reliquerunt.

1982 Ad probationes vero desumptas ex Trid. de quibus n. 1969. jam respondimus in n. 1971. illud autem, quod desumitur ex

c. unic. de Clericis non resid. in 6. loquitur de distributionibus quotidianis, quæ juxta veriore sententiam non veniunt sub bonis Clericorum profectitiis, seu mere Ecclesiasticis; sed quasi Castrensibus, de quibus hic non est sermo. Quando autem opponitur, quod, si Clerici ponantur veri domini reddituum etiam superfluum, eo ipso non possint obligari ex justitiâ ad iis utendum aliquo casu, quo posito peccent contra justitiâ; cum ratio veri domini sit ad omnem usum in commodum libertatis propriæ, & utens jure suo, nulli faciat injuriam; id in multis facit, ut patet ex Dominio rei, acquisito per confusionem, accessionem, &c. in fideicommissis, in quibus plures possessori concedunt dominium plenum, ut alibi diximus, sed vincularum etiam obligatione justitiæ transmittendi post mortem ad eum qui jure vocatur in successionem; denique, quod quis etiam utendo jure suo, quandoque faciat alteri injuriam, probavimus pluribus in tract. de jure & just. q. 1.

ARTICULUS III.

Cujus sint bona, quæ Clerici comparant post promotionem ad beneficium Ecclesiasticum?

1983 Non est novum, Clericos seculares; antequam ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas promoverentur, nihil, vel parum habuisse, de bonis patrimonialibus; successu vero temporis, ubi ad ejusmodi beneficia, Prælaturas, & dignitates promoti sunt, abundare, coemere bona mobilia, immobilia &c. ex hoc ante nascitur quæstio, cujus ea bona sint post ejus mortem? si comparata sint ex bonis, seu proventibus mere Ecclesiasticis? hoc est, intuitu Ecclesiæ acquisitis, ut exposuimus n. 1961. contingit autem sæpius, hoc ipsum esse dubium, an ea bona, & opes, comparata sint ex bonis mere Ecclesiasticis; an ex aliis, de quibus eis liberum est etiam per sacros canones ex arbitrio disponere; in casu porro tali dubio, quid censendum, vel judicandum? præsens quæstio est.

1984 De hac quæstione sunt plures canones; primo enim l. 2. q. 5. c. fixum, postquam

quam in Concilio Hispalensi statutum fuit, fixum abhinc, & perpetuo mansurum esse debere, ut Episcopus rebus sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hereditaria successione acquisivit, secundum auctoritatem canonicam, quidquid vult faciat, & cui vult eas conferat; subjungitur: postquam autem Episcopus factus est, quas unquam res de facultatibus Ecclesia, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione, comparaverit, decrevimus, ut non in proximorum suorum sed in Ecclesia, cui praeest, iura deveniant.

1985 Deinde c. *Investigandum* 1. h. t. ad quaestionem, *cujus juris bona sint*, quae Presbyter emis, postquam promotus est ad Ecclesiasticum ordinem, prius, nihil patrimonii habens? respondet Concilium Arelatense, quod Ecclesia, ad quam nihil habens promotus est, esse debeant, juxta canonicam auctoritatem, unde in eodem Concilio, ut habetur c. *Presbyter* 2. eod. statuitur, quod Presbyter, cum Dioecesim tenet: de his, quae superemerit, ad ipsius Ecclesia nomen scripturam faciat, aut ab ejus ordinatione discedat; & ideo, prout constat ex epistola Pii Papae 1. unusquisque Presbyter res, quas post dies consecrationis acquisierit, propria Ecclesia relinquere tenetur, per c. 3. eod.

1986 Hoc adeo verum esse volunt sacri Canonnes, ut, si quis Presbyterorum, de redditibus Ecclesiae, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparavit, nihilominus empta per illum ex proventibus Ecclesiasticis, quantumvis emerit nomine alieno, efficiantur res Ecclesiae, ut habetur c. *Inquirendum* 4. eodem, ubi ratio redditur, quia sic, ut nec suo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem, facere de facultatibus Ecclesiasticis debet, quoniam hoc sacrilegium est, & par Crimini Iuda furis, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur; aliud est, si quis Clericorum agella, vel vineolas in terra Ecclesiae sibi fecisse probabitur sustentanda vitae causa; tunc enim usque ad diem obitus sui ea possidere illi licet; sed post suum discessum Ecclesiae restituere debet; nec testamento, aut successoris jure, cuiquam heredum, pro heredumve relinquere, nisi forsan, cui Episcopus, pro servitio, ac praestazione Ecclesiae, largiri voluerit.

1987 Ex his iuribus deducitur 1. quod acquisita à Rectore Ecclesiae, tempore promotionis nihil habente, in dubio praesumantur

acquisita de bonis Ecclesiae; ita communiter Doctores, cum Menoch. de praesumpt. l. 5. praef. 53. à princip. Bellel. disquisit. Cleric. p. 1. tit. de bonis Clericorum, §. 2. n. 3. in fine, Mascard. de probat. concl. 202. n. 2. ubi a. 4. dicit, quod, si dubitetur ex cujus bonis acquisita per Praelatum defunctum sint, in dubio pro Ecclesia praesumantur, & n. 6. quod Clericus post Clericatum in dubio praesumatur acquisivisse intuitu beneficiorum, & Ecclesiae; & ideo eam, tali casu esse relinquenda Ecclesiae, ut statuitur cit. 3. id, quod procedit, si illa comparaverit nomine suo, sive alieno; unde licet Clericus in tali casu de bonis Ecclesiae (hoc est acquisitis ejus intuitu) Capellam, vel Ecclesiam aedificet, non tamen propterea sibi, sed Ecclesiae jus Patronatus acquirit; quia sic non ipse suis, sed sumptibus Ecclesiae debitis construit, & colligitur ex c. *Apostolicos* in fin. & ibi Glossa v. *Contraxisse*, 12. q. 2. ubi Archid. n. 4.

Dixi: in dubio sic praesumi, praesumptione 1988 nimirum juris Canonici; si enim constaret oppositum, praesumptio cederet veritati, & ideo, si Clericus ante promotionem ipse habuit bona patrimonialia, & beneficium, ad quod promotus est, non sit multum pingue, potius ex illis, quam ex huius proventibus praesumerentur comparata, quae accreverunt; praesertim, si constaret, talem Clericum, parca usum proventibus sibi ad decentem sustentationem concessis; & post promotionem ad beneficium, esto prius nihil, aut parum habuerit, durante administratione beneficii, vel dignitatis, propter insignia talenta, quae ostendit, multis aliis generibus munerum, & officiorum fructum, largis inde proventibus auctum; quo casu hi veniunt sub bonis quasi castrensibus. Deducitur 2. licet bona ex proventibus mere Ecclesiasticis empta in casu, de quo in praemissis, relinquenda sint Ecclesiae, quarum intuitu acquisita sunt; usum fructum tamen eorum, tali Clerico permitti ad diem vitae, uti etiam post dimissum beneficium, & de voluntate Episcopi etiam concedi posse illius heredibus pro merito, & servitio ab illo tali Ecclesiae praestito, ut constat ex c. *Inquirendum* 4. h. t. de quo n. 1986.